

tamen, omne tempus esse opportunum, dum necessitas urget, ut parvuli, vel adulti baptizarentur. Id patet ex ep. 4. S. Leonis ad Episcopos Siciliae, ex Concilio Romano sub Cornelio Neocæsareensi can. 12., Antisiodorensi can. 18., Matisconense can. 3., Parisiense VI. can. 7., ex ep. S. Cypriani ad Magnum, ex S. Aug. in pluribus locis &c. Quorum haec omnia? quia Baptismum credidit, & credit Ecclesia non necessarium solum necessitate præcepti, sed necessitate medii ad æternam salutem comparandam.

### COROLLARIUM.

Verum existit in Lege Evangelica suscipiendi Baptisma præceptum. Nam præterquam quod illud omne, quod necessarium est necessitate medii, necessarium pariter est necessitate præcepti, ut Theologi loquuntur: Novatores, qui præceptum sumendi Eucharistiam ex illis Christi verbis inferunt: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c.* si nolint sibi contradicere, ex I. Christi verbis Jo. 111. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei,* recte inferre debent, in Evangelica Lege, omnibus præceptum esse Baptismum. Hoc etiam plenissime constat ex Act. Ap. c. 2. v. 38. *Baptizetur unusquisque verum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti.*

### PROPOSITIO SECUNDA.

In summo versantur errore Socinus, Ostorodius, & Volchelius, existimantes, Baptismi præceptio Christianorum filios non teneri.

S. XII. Primo, Dominus dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Cœlorum;* insuper: *Omnis, qui crediderit, & baptizatus fuerit &c.* ulterius: *Prædictate Evangelium omni creature, baptizantes eos &c.* quis hic non videt, Dominiū, & Redemptorē nostrum indefinite loqui? omnes igitur Baptismi præceptio tenen-